Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36551
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



felix aut cui si obiciunt culpe laudes eregione assistunt
que culpas repellunt. Sibilauerunt ut serpentes fremuerunt
dentibus ut leones ad deuorandum rugientes. Sic enim boni
caritate compuncti stupore permoti dolentes sibilant caput
agitant ita irridentes cum quamlibet corruisse uiderint
sibilant & fremunt. Vnde sequitur. Ista est dies quam expectabamus
& c. Illa die semper hostes expectant qua liceat eis uel cuius
quam animam uel totam ecclesiam deuorare. Sed hoc non potest fieri nisi
exigentibus peccatis iusto dei iudicio permissum fuerit sic & terre
ne hierusalem accidit. Vnde addit. Fecit dominus quod cogitauit & c. Color.

Septimus indignationis quia nefarium factum & abomini iure
remotum. Aperuerunt scilicet accusantes. unde dominus laudem meam & c. super te
os suum scilicet deuorandam omnes ini tui i. chaldei romani demo
nes uel quilibet persecutores sibilauerunt quasi serpentes dentibus scilicet
quasi leones deuorare cupientes & dixerunt deuorauimus scilicet
hierusalem terrenam uel delinquentem ecclesiam uel animam in sangui
nem peccatorum conculcatam. En ista est dies quia sublato dei auxilio
hierusalem deuorare possumus. Fe. Fecit dominus quod cogitauit compleuit
sermonem suum quem preceperat a diebus antiquis destruxit
& non pepercit letificauit super te inimicum & exaltauit cor
nu hostium tuorum. Pascasius hystorice.

Fecit dominus quod cogitauit & c. Sepius dominum synagoga malis
suis irritans iustam promeruit penam sed diuina bonitas diu
sustinuit ad penitentiam. Sed quia sceleribus suis dei uicit
pacientiam tandem secundum merita dignam sustinuit penam. Vnde
moysi pro populo roganti responsum est. Dimittam iuxta uerbum
tuum. Veritatem in die ultionis debuerit punire idem pecca
tum quia non uindicat bis in idipsum sed quia peccatum ydolatrie
pure non dereliquerunt nec penituerunt. Vnde ait. Fecit dominus
que cogitauit & c. plagas scilicet impleuit quas in lege
predixerat & prophetis. Alleg. Fecit dominus que cogitauit